



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis

Ferdinand <Köln, Erzbischof>

Coloniae Agrippinae, 1614

De Sacramento Pœnitentiæ, notæ pro Pastorum instructione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39761**

Hic fasciam, quâ frons fuerat ligata, soluat, & in aquam mittat, eademque iam madefactâ frontem confirmati defricet atque abluat, cum his verbis.

Ab omni immunditia mentis, & corporis mundet te Dominus noster Iesus Christus, in nomine Pa **✠** tris, & Fi **✠** lij, & Spiritus **✠** sancti.

Deinde dicat.

Pax tecum **✠**. Vade in pace.

Aqua ablutionis mittatur in cœmiterium, vel in ossorium, aut flumen, vel in focum, non in locum immundum; ob reuerentiam sacri chrismatis.



# DE SACRAMENTO P O E N I T E N T I Æ instructio.

## I.



Uemadmodum Baptismus nondum regeneratis; sic Pœnitentiæ Sacramentum omnibus à baptismo in peccatum mortale prolapsis est necessarium.

*S. Pœnitentiæ necessitas. Concil. Trid. sess. 14. cap. 2.*

II. Non ut in alijs sacramentis, sic in hoc materia est res aliqua naturalis aut

*S. Pœn. materia. Conc. Trid. sess. ead. c. 3. & Florent. doctrin. de sacrament.*

arte effecta, sed eius quasi materia sunt actus pœnitentis, nempe

H 3

nempe



nempe contritio, confessio, & satisfactio. Qui vt ad integritatem & perfectionem sacramenti requiruntur, eiusdem partes vocantur.

S. Pœn.  
Forma.  
Conc. Trid.  
Ibid. m.

**III.** Forma in his verbis posita est: Ego te absoluo à peccatis tuis. Quibus quidē verbis de Ecclesiæ sanctæ laudabili more preces quædam adiunguntur, quæ ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neq; ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessaria.

S. Pœn.  
effectus.

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.

**IV.** Effectus huius sacramenti est vera remissio peccatorum, reconciliatio peccatoris cum Deo, infusio gratiæ & virtutum, operum quæ ante peccati lapsum ex radice charitatis viuebant, viuificatio, commutatio pœnæ æternæ in temporalem, & aliquando totius pœnæ remotio. Conscientiæ pax & serenitas cum vehementi spiritus consolatione, in ijs præsertim, qui cum deuotione hoc sacramentum percipiunt.

P. Mini-  
ster.

**V.** Minister est omnis Sacerdos, qui vel ordinariam iurisdictionem habet, vt Episcopi, Parochi, alijque, quibus ex officio animarum cura incumbit; vel delegatam, vt omnes quibus ab istis facultas audiendi confessiones est concessa.

Ministri  
qualitates.

**VI.** Atq; vt in pœnitentibus reconciliandis ea potestate rectè vtantur, necessaria est ijs vitæ integritas, prudentia non mediocris, & scientia subditorum ipsis confitentium statui attemperata.

I.  
Vitæ inte-  
gritas.

**VII.** Vitæ integritas requiritur, ne dum alios sanare volunt: ipsi se grauius vulnerent, qui enim peccati exitialis sibi conscij sine pœnitentia præuia confessiones excipiunt.



piunt, peccatum mortiferum incurrunt.

**VIII. P**rudentia multis de causis est necessaria, tum vt salutaria praesentibus atque futuris peccatis remedia antidotaque praescribant; tum vt interrogationes cautè solerterque instituunt; adhuc vt satisfactionis poenam peccatis, & peccatori congruentem iniungant. Deniq; vt poenitentem, prout ingenium eius postulare videbitur, nunc lenibus verbis mulceant, nunc asperioribus increpent.

**IX. S**cientia illa praediti sint oportet, qua peccata mortalia à venialibus saltem in communi distinguant, casus superioribus reseruos & censuras Ecclesiasticas perspectas habeant, quibus casibus confessiones aliàs factae iterandae sint intelligant, deniq; in grauioribus materijs, quae occurrunt, dubitare & ad doctiores recurrere sciant.

**X. Q**ui igitur omnino nulla, aut saltem non sufficienti pro commissorum sibi poenitentium conditione scientia praediti confessionibus audiendis dant operam, grauissimè delinquunt, praesertim si nulla necessitate ad id faciendum vrgeantur.

**XI. A**ntegressis Confessarij qualitibus, & illa necessariò adiungitur, vt inuicta secreti (quod sigillum confessionis vocant) reticendi constantia sit praeditus. Sic enim animatus esse debet, vt acerbissimos corporis cruciatus, & extrema quaeque perpeti malit, quàm quidquam ex sola confessione sibi cognitum reuelare.

**XII. A**tq; hoc sibi vult illa Lateran. Concilij constitutio: **C**aucat omnino ne verbo vel signo, vel quouis alio modo prodat

2.  
Prudentia M.

1.

2.

3.

4.

3.  
Scientia M.

1.

2.

3.

4.

Imperitorum ministrorum culpa.

4.

Secretum confessionis seu sigillum.

De sigillo confessionis.

Conc. Lateran. cap. 25. decretorum.



prodat aliquatenus peccatorem; sed si prudentiorum consilio indiguerit, id absque expressione personæ, cuius causa eo eget, cautè requirat.

Pœna reuelantium confessionem.

Concil. Lateran. ibid.

Secretum confessionis quam arctum.

Sigillo confessionis quæ comprehendantur.

Qui secretum confessionis tenere obligatur.

Casus quo confessio reuelari possit.

**XIII.** Qui autem sacerdotes omnis & diuini, & humani iuris obliti, peccatum in pœnitentiâ iudicio detectum præsumpserint reuelare, sciant se ex eiusdem Concilij decreto non solùm ab officio sacerdotali remouendos; verùm etiam ad agendam pœnitentiâ perpetuam in arctum monasterium detrudendos.

**XIV.** Quòd si peruersus iudex aliquis confessarium ad peccatum in confessione auditum prodendum compellere etiam sub iuramento tentet, rectè negabit se illud scire. Quamuis enim per confessionem sciat, non tamen vt reuelet, quandoquidem non vt homo, sed vt Dei minister nouit.

**XV.** Porrò, sub confessionis sigillo comprehenduntur peccata omnia non mortalia modò, sed & venialia, ac peccatorum circumstantiæ, persona tanquam particeps peccati expressa, signa, indicia vniuersalia & particularia, denique omne illud, per quod peccatum in confessione detectum, directè vel indirectè quocunq; modo siue in genere, siue in specie reuelari possit.

**XVI.** Eadem secreti reticendi necessitate tenentur non soli confessarij, sed omnes omninò homines, qui quocunq; modo confessionem sacramentalem, vel audierunt, vel intellexerunt, siue viri illi sint, siue foeminae.

**XVII.** Et quanquam de licentia confitentis, cum iusta causa subest, neque scandalum vllum timetur, in confessione

sione



sione audita reuelari possint: tamen ne putetur Sacerdoti aliquando permissum esse audita detegere, tutius nonnulli iudicant, vt ipse poenitens peccatum suum coram alijs reuelet, quam confessario id faciendum committat.

**XIX.** Sed nec illud hoc loco praetermittendum est, potestatem confessiones excipiendi siue ordinaria sit, siue delegata, excommunicatione & suspensione impediri; qui igitur hisce vinculis alligati absolutionem poenitentibus impendunt, nihil omnino faciunt.

5.  
De potestate excipiendi confessiones.

**XX.** In coadiutoribus siue sacellanis adsciscendis non tantum ad praedictas qualitates Pastores respicient, verum etiam prouidebunt, vt nullus nisi Ordinario loci approbatus assumant, siue Regulares ij sint, siue saeculares.

Pastores quibus potestatem absoluendi committeri possint. Concil. Trid. Conc. Diocef. anno 1598. cap 2 §. 5. Quam potestatem Pastores alijs committere possint.

**XXI.** Atque his ordinariam tantum absoluendi potestatem delegare possunt, suas illis vices committendo; eam vero quam ipsi fortassis ad relaxandos casus reseruos à superioribus habent, sibi delegatam coadiutoribus suis subdelegare non possunt.


**XXII.** Confessiones auditurus sacerdos diligenter apud animum suum reputabit, quanti momenti res sit animarum regimen, proindeque ante omnia ad diuinam confugiet opem eiusque directionem hac aut simili oratione postulabit

De confessarijs, quid ij agenda.

**D**omine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, qui me indignum propter tuam misericordiam ministrum fecisti officij sacerdotalis, & me exiguum humilemque

Oratio à confessarijs confessiones exequendo dicenda.

I Sacer-





Sacerdotem mediatorem constituisti ad orandum, & intercedendum pro peccatoribus, ad pœnitentiam reuertentibus. Ideoque Dominator Domine, qui vis omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed vt conuertantur, & viuant, suscipe orationē meam, quam fundo ante conspectum clementiæ tuæ pro peccatis meis, & pro famulis, ac famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt, vt des illis spiritum compunctiōnis, & resipiscant à laqueis Diaboli, quibus astricti tenentur, & ad te per dignam satisfactionem reuertantur. per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

*Vbi confessiones excipienda.*

*Stat. Sifridi c. 8. pag. 44.*

**XXIII.** Ad hæc nisi publicè in templo peccatoribus per pœnitentiam reconciliandis det operam, sedes in loco aperto omnium oculis exposito, solis aut candelorum lumine illustrato, pluribusque præsentibus, præsertim cum mulieres audiendæ sunt, super pelliceo insuper & stola sit amictus.

*Confessarius non subditum absoluerit nequit. Concil. Trid. sess. 14. c. 7. doctrin. de pœnitent.*

**XXIV.** Oblato pœnitente videat num in eum iurisdictionem habeat. Nam cum ratio iudicij poscat, vt in subditos tantum sententia feratur, nullius momenti absolutio iudicatur, quam sacerdos in eum pronunciat, in quem neq; ordinariam neq; delegatam iurisdictionem habet.

**XXV.** Ve-



**XXV.** Verum ne hac ratione aliquis pereat, mortis articulum Ecclesia semper exceptum voluit, in quo omnibus sacerdotibus quoslibet pœnitentes, à quibuslibet casibus, atq; censuris absoluendi potestatem concessit amplissimam, usque adeo ut extrema necessitate urgente, dum alius sacerdos haberi nequit, etiam ab hæretico, schismatico & excommunicato sacerdote absolutionis beneficium petere liceat, modo sine scandalo & periculo id fieri possit.

Casus in quo nõ subditus à confessario absolui potest  
Concil. Trid. ubi supra. Aug. lib. de bapt. cap. 2. Molanus.

**XXVI.** Atq; hæc facultas, ut in proposito casu in hominem maiore excommunicatione, ad instantiam alicuius à iudice excommunicatum rectè exerceatur, tria sacerdos ab illo requiret. Primum est, ut parti ad cuius instantiam, & iudici à quo est excommunicatus, satisfaciat, aut si facere id nequeat, cautionem idoneam, id est fideiussoriam vel pignoratitiam aut etiam iuratoriam, quando aliam non habet, præstet, se intra mensem, si conualuerit, satisfacturum. Alterum ut promittat se deinceps Ecclesiæ mandatis obtemperaturum. Postremum ut valetudine recuperata, quam primum iudici se sistat pro absolutione impetranda, futurum alioquin, ut in eandem relabatur.

Ab excommunicationis in articulo mortis absolueudis quæ confessarius requiret.  
1.  
Stat. D. Frederici c. 13. pag. 194.

**XXVII.** Quod si sacerdotis copia haberi nullaratione poterit, nunquam laico, seu laicis quantumcunque bonis, & deuotis facienda est confessio.

Minister confessionis Sacramentalis laicus esse nequit. Confessarius ut se erga confidentem gerat.

**XXVIII.** Erga admissum pœnitentem benignum, affabile, & misericordem, sacerdos se præbeat. De genibus flectendis, fronte cruce signanda, benedictione petenda, vultu ac manibus componendis, armis, si que gestat disponendis, alijs-

1 2 queri-



queritibus in confessione adhiberi solitis suauius admonet.

Confessarius quorum penitentem monabit.

**XXXIX.** Animum in super addat, ut stulta & pernicioſa uerecundia reiecta omnia mortalia peccata, aut quæ talia esse iudicat dubitatve vnà cum circūstantijs loci, numeri, personæ & intentionis humiliter, dolenter, integrè, perspicuè, idq; vltro & suaapte sponte pronunciet, nullum scienter reticendo, extenuando, excusando.

Confessario quid commendandum.

**XXX.** Caueat diligenter sacerdos ne pro lato à poenitente peccato aliquo grauiore, animi admirantis, vel indignantis vllam det significationem, ne timorem pudoremque illi incutiat, quo impeditus conscientia suæ vulnera aperire vereatur.

Confessarius de quibus confidentem examinabit.

**XXXI.** Enumeratis per poenitentem peccatis eiusque conditione perspecta confessarius pro personæ atque status qualitate quæstiones instituat, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ percurrendo, præsertim si poenitens rudis videbitur.

Confessoris prudentia in examine.

**XXXII.** Quæ tamen in re prudentia opus est, ne promiscuè omnia ab omnibus rogentur, & simplices peccata quæ ignorant, doceantur: sed ea tantum in quibus probabiliter deliquisse existimantur, eiusmodi ferè sunt, quæ homines eiusdem ætatis, & conditionis plurimum sciunt, & committere solent. Quæ cautio cum in alijs, tum in adolescentulis & simplicibus maximè locum habet.

Interroganda à confessore.

**XXXIII.** Interroget præterea, num in Paschate proximè superiore fuerit confessus, sacramq; communionem reuerenter suscepit; An in præcedente confessione peccatum aliquod



aliquod mortale, vel de quo, effernè tale, dubitauerit, sciēter reticuerit, hoc enim casu iteranda esset confessio; Num pœnitentiam sibi iniunctam impleuerit. Et si imperitus ac rudis appareat, an orationem Dominicam, salutationem Angelicam, symbolum Apostolorum, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ sciat.

**XXXIV.** Nec enim desunt, qui cum inutilia, & noxia multa probè norint, hæc tamen scitu necessaria maximo suo periculo ignorent. Atq; hi pro tēporis ratione breuiter de præcipuis fidei capitibus instructi serioque admoniti, vt ea primo quoq; tempore discant, si postea eorum penitus ignari redeant non sunt audiendi.

**XXXV.** Sed & illud studiosè videndum, an pœnitens debitam in sceleribus in memoriam reuocandis diligentiam posuerit, firmumque vitæ in melius commutandę propositum conceperit. Quod cum aliunde, tum inde cognosci poterit, si propinquam peccandi occasionem à se remouerit, si iniuriam alijs verbo, factove datam compensauerit, acceptam ex animo remisit. Quæ nisi præstiterit, aut iam nunc præstare paratus sit, absolui non debet.

**XXXVI.** Vnde consequens est absolutionis beneficium rectè negari concubinarijs, & adulteris, quàm diu personas, quibuscum deliquerunt domi suæ retinent, detraкторibus, vsurarijs, & rem alienam iniuste detinentibus nisi illi famam & honorem, hi verò quæ iniuste possident veris Dominis restituerint, præsertim cum soluendo sunt, & aliàs id se facturos in confessione promiserunt; illis etiam, qui irā, odium, & rancorē aduersus proximū fouent,



neque vt in gratiam cum illo redeant, induci se patiuntur; Præterea Magis, Sortilegis, Lenonibus, nec non omnibus illicitas artes sectantibus, si ab illis abstinere recusent: Omnibus denique, quibus ad priora peccata reuerti, aut alia mortifera deinceps perpetrare est animus.

Confessarius quid cum imparatus agat.

**XXXVII.** Neque aliter accipiendi sunt, qui ita imparati ad confessionem veniunt, vt neque ipsi per se vltro, neque diu multumq; interrogati, peccatum vllum proferre possint. Hos enim confessarij dimittent, atque monebunt, vt diligentius conscientiam scrutentur, & consideratis temporibus, locis, personis, negotijs cum quibus, & in quibus versati sunt peccata, in memoriam reuocent, ac tunc demum reuertantur.

Confessarius quomodo se geret erga eos qui dimissi redituri non essent.

**XXXVIII.** Quod si verisimile sit demissos non redituros, tum habita temporis ratione informentur, & inducantur, vt non tantum de incognitis, & memoriam fugientibus peccatis ex animo doleant, sed etiam supinum istum conscientie neglectum, tanquam verum propriumque peccatum detestentur, & confiteantur. Quod si faciant & paratos se ostendant ad omnia delicta, si occurrerent, confitenda, absolutione donari poterunt.

Confessarius vt se habebit erga infirmos iam morituros.

**XXXIX.** Porro de infirmis alia est ratio. Siquidem hi si breuitate temporis ob imminentem iam mortem impediantur, quo minus omnia peccata recenseant aliquibus, iisdemque grauioribus enumeratis; absoluendi erunt.

**XL.** Eodem planè beneficio donandi sunt ægroti, qui cum verbis non possunt, nutibus alijsve signis conscientie

suae



suæ vulnera modo, quo possunt manifestant, & absolutionem à peccatis se petere innuunt.

**XLII.** Et quoniam aliquando accidit, ut ad infirmum sacerdos vocatus, eum omnium sensuum usu destitutum inueniat, hinc à circumstantibus requiret, num propositum confitendi habuerit. Quod habuisse affirmantibus non est, cur absolutionis sacramentalis beneficium illi denegetur, præsertim sub conditione tacita, vel expressa, si videlicet eiusmodi propositum sit sufficiens materia.

*Chapeauille  
tract. de sa-  
cram. tēpore  
pestis mini-  
strandis c. 3.  
qu. 10. 11. 12.*

**XLIII.** Meminisse & Pastores debent, non statim pœnitentem esse reiiciendum, si exigua aut nulla contritionis præ se ferat signa, sed ad eam pro virili adiuuandum, illa in medium proponat, quæ ad intimum de peccatis dolorem, excitandum maximè videbuntur oportuna. Talia sunt, quòd peccata sunt contra iustitiam, contra diuinæ maiestatis bonitatem, reuerentiam, honorem, debitamque obedientiam, quod illius beneuolentiam à nobis alienent, sempiterna felicitate peccatorem priuent, & perpetuis cruciatibus macerandum addicant.

*Confessarius  
quomodo tra-  
ctabit con-  
fidentes pa-  
rum con-  
tritos.*

**XLIII.** Peracta confessione, & pœnitente rectè disposito, priusquam impendatur absolutio, satisfactio salutaris est iniungenda, quæ & criminum qualitati, & pœnitentium facultati respondeat, ne si fortè leuissima quædam opera pro grauissimis delictis irrogentur confessarij alienorum peccatorum participes efficiantur.

*Satisfactio  
qualis pœ-  
nitenti per  
confessariū  
iniungenda.  
Conc. Trid.  
sess. 14. de  
pœn. cap. 8.*

**XLIV.** Vbi illud prouidendū, ut pœnitentia, quæ imponitur, nō sit tantum ad nouæ vitæ custodiā, & infirmitatis medicinā; sed etiā præteritorū criminū vindictā & punitio-

nem.



Mat. 16. &  
18. Ioan. 20.

nem. Meminisse enim sacerdotes debent, claves sibi à Christo esse concessas non tantum ad soluendum, verum etiam ad ligandum.

Poenitentis  
ad satisfac-  
tionem  
perficiendam  
obligatio.

**XLV.** Ex quo efficitur Poenitentem ad satisfactionem sibi sacerdotis arbitrio rationabiliter iniunctam acceptandam & perficiendam obligari. Vt verò promptius id faciat, profuerit illi significare, quæ poenæ olim, quibusdam delictis, ex canonum, qui poenitentiales appellantur, præscripto fuerint constitutæ. Hinc enim cum criminum suorum quantitatem propius agnouerit, in poenitentia recipienda implendaque minus erit difficilis.

**XLVI.** Quòd si istis ritè propositis nihilominus tergiuerfetur, infirmitati eius, quoad fieri potest, confessarius se attemperet.

Quæ poe-  
nitentiæ nõ  
iniungende  
à confess.

**XLVII.** Quæadmodum autem nõ est iniungenda poenitentia incõmoda poenitenti, aut quæ tertio præiudiciũ adferat; ita nunquam pro peccato occulto publica imponi debet.

De satisfac-  
tione mo-  
uentium.

**XLVIII.** In mortis articulo constitutis potius est indicanda, quàm indicenda satisfactionis poena, monendiq; sunt, vt si conualuerint eam sedulò perficiant, sin è vita decesserint, amicorum precibus atque elemosynis redimendam committant. Hoc enim casu per alium impleri potest.

Opera sa-  
tisfactoria  
quomodo  
perficienda

**XLIX.** Docendi sunt insuper fideles, vt poenitentiam in charitate perficiant. Quanquã enim si aliter fiat, nec nouũ peccatum committatur, nec satisfactio per soluta necessariò sit repetenda; opera tamen, quæ ab existentibus in affectu mortalis peccati fiunt, non sunt satisfactoria, neque accedente postea charitate viuificantur.

L. Cùm



**LA.** Cùm autem puritati & tranquillitati conscientiarum modis omnibus consulendum sit, caueant etiam atque etiam confessarij, ne quemquam ad perpetuo ipsis confitendum inducant, & obstringant, aut ad id faciendum sua sponte paratum admittant. Quin potius sibi commissis facultatem alteri confitendi petentibus eam haud grauatè concedant.

Cautio cō-  
fessarijs  
obseruāda.

**LI.** Absolutioni à peccatis semper absolutio ab excōmuni-  
catione præmitti debet, quando quidem omnis excōmuni-  
catio arcet à participatione sacramentorum.

Absolutio-  
ni à pecca-  
tis absolu-  
tio ab ex-  
cōmuni-  
catione præ-  
mittenda.

**LII.** Ab excommunicatione minore (quæ incurritur cum quis participat cum notorio clerici percussore aut cum nominatim excommunicato) absoluere potest omnis sacerdos, qui confessiones audiendi potestatem habet.

Ab excom-  
municatio-  
ne qui ab-  
soluere  
possint, qui  
non.

**LIII.** Idem de maiore excommunicatione iudicium est, quando nemini est reseruata. Quod si reseruata sit, tum penes illum, cui est reseruata, eiusq; superiorē aut etiam successorem relaxandi facultas residet. Ad hunc igitur pœnitens pro absolutione est remittendus, aut ab eo sacerdote quo pœnitentē audiuit, potestas absoluendi impetranda.

De casib. re-  
seruatis.

**LIV.** Nec aliter de grauioribus delictis sentiendum quorum absolutionem sibi S. Pontifex aut Episcopi iustissimis de causis reseruarunt.

**LV.** Episcopales casus hi sunt Homicidium, Sacrilegium, Incendium Ecclesiæ deliberata voluntate procuratum, Sodomia, Stuprum, Raptus virginum, Incestus cum consanguineis aut sanctimonialibus, Iniectio manuum violenta in parentes, Sortilegia, Veneficia, Periurium manifestum,

Casus Epi-  
scopo re-  
seruati.  
Sta. Sifridi  
c. 8. pag. 42.

K

nifestum,



nifestum, violatio fidei & votorum, Simonia, Hæresis, Apostasia, Blasphemiæ magnæ serioque prolata.

Casuum  
Episcopa-  
lium mo-  
deratio.

**LVI.** In propositis modò casibus moderatio Concilij Prouincialis sub Hermanno, & Synodi Dioccesanæ anno 1598. celebratæ obseruanda, vt si occulti sint quilibet sacerdos legitimè vocatus & institutus in foro conscientiæ absoluerè possit.

Casus S.  
Pontifici  
reſeruati.

**LVII.** Casus S. Pontifici reſeruatos diligens confessorius apud Nauarrum in Enchiridio Confessoriorum, & Binsfeldium in Theologia Pastoralis prolixè perspicueque inueniet.

Concil. Trid.  
ſeſſ. 24. cap.  
6.

**LVIII.** Atqui hi cum occulti sunt ex concessione Concilij Tridentini Episcopales fiunt. Liceat, aiunt Patres, Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto venientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & ex certis alijs ad forum contentiosum deductis dispensare, & in quibuscunq; casibus ſedi Apostolicæ reſeruatis delinquentes quoscunq; sibi subditos in Diocesi sua per seipſos, aut per Vicarium ad id specialem deputandum in foro conscientiæ gratis absoluerè imposita poenitentia salutari.

De his qui  
ad absolu-  
tionem Ro-  
mæ peten-  
dam non  
obligantur

**LIX.** Nec in publicis seu notorijs omnes Romam pro absolute impetranda ablegandi sunt. Excipiuntur siquidè ab eo onere impuberes masculi, quod necdū ratio in ijs satis valeat, Monachi & Regulares, quia sui iuris non sunt; foeminae tū ob sexus imbecillitatem, tum quòd in virorū sint potestate; viduæ iuniores, ac puellæ ob incontinentiæ periculum; senes & valetudinarij, quod itineris laborib<sup>9</sup> perferendis



ferendis impares sint; nobiles delicati ac potentes eandem ob causam; pauperes, ac præsertim matrimonio illigati, ne eodem vxores, & liberi ob diuturnam absentiam medicitatis, & peccati periculū incurrant; Omnes deniq; qui iustū, & prudētis viri arbitrio sufficiens habent impedimentum, quo minus sedem Apostolicā pro absolutione adeāt. Hi ad Episcopum, illiusve Vicarium aut Pœnitentiarium mittendi sunt, à quibus absolui possunt, & debent.

**LX.** Quibus hæreticos per pœnitentiam reconciliandi concessa est potestas, non antè absolutionis beneficium ijs impendent, quàm hæresim abiurauerint, & professionem fidei præstiterint, nec non sanctè iurauerint, se nunquam ad eam redituros.

De absolutione hæreticorum.

**LXI.** Atque hi si in sacris sunt constituti, quomodo irregularitatem incurrerunt, moneri debent, vt dispensationem super hac obtineant, antequam munia suorum ordinum obeant.

**LXII.** Pœnitens postquam est absolutus hortandus est, vt pro tanto tamque singulari beneficio Deo Opt. Max. perpetuò gratias agat, vitā deinceps sanctiùs instituat, peccatum, eiusq; occasiones sedulò fugiat, propositū non peccandi sepius renouet, in pijs actionib⁹ iugiter se exerceat, tentationes fortiter toleret, atq; vincat, demū in pace recedat.

Confessarius quorū pœnitentem post confessionem monebit.

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.
- 5.
- 6.
- 7.

**LXIII.** In votis commutandis, quod Iubilæi tempore approbatis confessarijs concedi solet, diligenter videndum sint né in bulla certa opera expressa in quæ commutari debeant. Si sunt, in hæc ipsa, & non alia pro sacerdotis arbitrio commutentur: Sin minùs; tum spectata

De votorū commutatione.



vouentis qualitate & expensis, quas pro voto persoluendo facturus erat, æstimatis, in alia, si non maiora, saltem paria pietatis opera conuertantur.

Auctores  
qui de sa-  
cræ pœ-  
nitentiæ  
legendi.

**LXIV.** Cetera, quæ tum ad confessionem ipsam, tum varios conscientiæ casus, itemq; censuras Ecclesiasticas pertinent, cognoscent Pastores & Pœnitentiarij cùm ex alijs antiquioribus auctoribus, tum ex Manuali Confessoriorum Martini Doctoris Nauarri, Directorio Reuerendi P. Ioannis Polanci, summa de instructione sacerdotis Reuerendissimi Cardinalis Francisci Toleti. Theologia Pastoralis Binsfeldij Suffraganei Treuirensis, &c.

*Oratio absolutioni præmittenda.*

**M**isereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis perducatur te in vitam æternam.

*Absolutionis modus & forma.*

**D**ominus noster Iesus Christus, qui est summus Pontifex absoluat te, & ego auctoritate mihi licet indigno ab eo concessa, absoluo te primùm à vinculo excommunicationis in quantum possum, & indiges. Deinde eadem auctoritate: Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Posteriora hæc verba formam absolutionis continent, quæ sunt ita simpliciter sine vlla vel conditione, vel verborum

rum